

soluta Luneborgensium denariorum cum potestate ree-
 mendi. Hec ex primo, ne in futurum, cum illi, qui
 contractum inierunt, sint omnis defuncti, posset suspi-
 cari vel opponi, quod illa pecunia fuisset versa in
 meam utilitatem. Deinde maritata relicta predicti Ja-
 cobi attendens, quod quidam pretendunt de consuetudine
 esse in Luneborgh, quod nullus non habens liberos
 sive clericus sive laycus possit de bonis immobilibus
 hereditariis donando vel alienando quidquam ordinare
 et quod hoc tamen per aliquos addicitur pro excepcione
 hoc verum sic de consuetudine esse, nisi clericus vel
 laycus non habens liberos hoc declarat per iuramentum,
 quod propter debita per eum faciant alienacionem, ad-
 vertens igitur, quod conscienciam habeam scrupulosam
 de obligacionibus et aliis premissis superius et eciam
 in vita Jacobi expressis declaravi coram duobus tunc
 consulibus Luneborghensibus videlicet Hartwico de Sa-
 lina et Nicolao Garlop, quod ego propter multa, ad que
 consciencia mea moneret tamquam debita, sic quod
 timerem ea debita, necesse haberem alienare de bonis
 paternis et super hoc literas eorum recepi testificantes
 coram eis hoc actum sigillatas sigillis eorum et Frede-
 rici Huot predicti et repositas cum aliis literis in li-
 braria dominorum. Demum cum gwerre notorie essent
 redditusque bonorum salinarium per consules tollerentur
 et si pars hereditatis mee fuisset similiter translata
 in ecclesiam tunc temporis forte contradiccio fuisset,
 propter quam aliqua inconveniencia quantum ad bona
 mea hereditaria evenissent, habens intencionem ad hoc,
 ne nimium tunc per translacionem in ecclesiam de
 presenti pupillus et frater meus predictus Fredericus
 gravarentur, volens tamen saluti anime mee providere
 feci translacionem bonorum una cum predicto Frederico
 fratre meo secundum modum et continenciam litterarum
 eciam in libraria dominorum repositarum et domini
 episcopus et capitulum secundum illum modum accep-
 tarunt, prout eciam in literis super hoc confectis ibidem
 ut puto repositis continetur.